





NITIUM
EVANGELIJ
JESU
CHRISTI,
FILIJ DEI.


¶ Sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. ¶ Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. ¶ Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. ¶ Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. ¶ Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel silvestre edebat. ¶ Et prædicabat dicens: Venit fortior post me,




cujus non sum dignus procumbens solvere
corrigiam calceamentorum ejus. ¶ Ego
baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos
Spiritu Sancto. ¶ Et factum est: in diebus
illis venit Jesus a Nazareth Galilææ: et
baptizatus est a Joanne in Jordane. ¶ Et
statim ascendens de aqua, vidit cælos
apertos, et Spiritum tamquam columbam
descendentem, et manentem in ipso. ¶ Et
vox facta est de cælis: Tu es Filius meus
dilectus, in te complacui. ¶ Et statim
Spiritus expulit eum in desertum. ¶ Et erat
in deserto quadraginta diebus, et quadraginta
noctibus: et tentabatur a Satana: eratque
cum bestiis, et angeli ministrabant illi. ¶
Postquam autem traditus est Joannes, venit
Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium
regni Dei, ¶ et dicens: Quoniam impletum
est tempus, et appropinquavit regnum Dei:
pœnitementi, et credite Evangelio. ¶ Et
præteriens secus mare Galilææ, vidit
Simonem, et Andream fratrem ejus,
mittentes retia in mare (erant



enim piscatores), ¶ et dixit eis Jesus: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. ¶ Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. ¶ Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi: ¶ et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. ¶ Et ingrediuntur Capharnaum: et statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. ¶ Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut scribæ. ¶ Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo: et exclamavit, ¶ dicens: Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei. ¶ Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, et exi de homine. ¶ Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna, exiit ab eo. ¶ Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quænam



doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei. ¶ Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ. ¶ Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis et Andreæ, cum Jacobo et Joanne. ¶ Decumbibat autem socrus Simonis febricitans: et statim dicunt ei de illa. ¶ Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: et continuo dimisit eam febris, et ministrabat eis. ¶ Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, et dæmonia habentes: ¶ et erat omnis civitas congregata ad januam. ¶ Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. ¶ Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. ¶ Et persecutus est eum Simon, et qui cum illo erant. ¶ Et cum invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. ¶ Et ait illis: Eamus in proximos vicos, et civitates, ut et ibi prædicem: ad hoc




enim veni. ¶ Et erat prædicans in synagogis eorum, et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens. ¶ Et venit ad eum leprosus deprecans eum: et genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. ¶ Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam: et tangens eum, ait illi: Volo: mundare. ¶ Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est.

¶ Et comminatus est ei, statimque ejecit illum, ¶ et dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis. ¶ At ille egressus cœpit prædicare, et diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, et conveniebant ad eum undique.




T ITERUM
INTRAVIT
CAPHAR-
NAUM
POST DIES


¶ et auditum est quod in domo esset, et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, et loquebatur eis verbum. ¶ Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur. ¶ Et cum non possent offerre eum illi prae turba, nudaverunt tectum ubi erat: et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat. ¶ Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. ¶ Erant autem illic quidam de scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis: ¶ Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus



Deus? ¶ Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? ¶ Quid est facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula? ¶ Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico), ¶ tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. ¶ Et statim surrexit ille: et, sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, et honorificent Deum, dicentes: Quia numquam sic vidimus. ¶ Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos. ¶ Et cum praeteriret, vidit Levi Alphaei sedentem ad telonium, et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum. ¶ Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu et discipulis ejus: erant enim multi, qui et sequebantur eum. ¶ Et scribae et pharisaei



videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit Magister vester? ¶ Hoc audito Jesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores. ¶ Et erant discipuli Joannis et pharisaei jejunantes: et veniunt, et dicunt illi: Quare discipuli Joannis et pharisaeorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant? ¶ Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. ¶ Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc jejunabunt in illis diebus. ¶ Nemo assumendum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum novum a veteri, et major scissura fit. ¶ Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt: sed vinum novum in utres novos




mitti debet. ¶ Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli ejus coeperunt progredi, et vellere spicas. ¶ Pharisei autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet? ¶ Et ait illis: Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant? ¶ quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant? ¶ Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum. ¶ Itaque Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.




T
INTROIVIT
ITERUM IN
SYNAGO-
GAM:


et erat ibi homo habens manum aridam. ¶ Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum. ¶ Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. ¶ Et dicit eis: Licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant. ¶ Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi. ¶ Exeuntes autem pharisaei, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent. ¶ Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare:



et multa turba a Galilaea et Iudaea secuta
est eum, ¶ et ab Ierosolymis, et ab Idumaea,
et trans Iordanem: et qui circa Tyrum et
Sidonem multitudo magna, audientes quae
faciebat, venerunt ad eum. ¶ Et dicit
discipulis suis ut navicula sibi deserviret
propter turbam, ne comprimerent eum:
¶ multos enim sanabat, ita ut irruerent in
eum ut illum tangerent, quotquot habebant
plagas. ¶ Et spiritus immundi, cum illum
videbant, procidebant ei: et clamabant,
dicentes: ¶ Tu es Filius Dei. Et vehementer
comminabatur eis ne manifestarent illum. ¶
Et ascendens in montem vocavit ad se quos
voluit ipse: et venerunt ad eum. ¶ Et fecit ut
essent duodecim cum illo: et ut mitteret eos
praedicare. ¶ Et dedit illis potestatem
curandi infirmitates et ejiciendi daemonia. ¶
Et imposuit Simoni nomen Petrus: ¶ et
Jacobum Zebedaei, et Joannem fratrem
Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges,
quod est, Filii tonitru: ¶ et Andream, et
Philippum, et Bartholomaeum,



et Matthaeum, et Thomam, et Jacobum
Alphaei, et Thaddaeum, et Simonem
Cananaeum, ¶ et Judam Iscariotem, qui et
tradidit illum. ¶ Et veniunt ad domum: et
convenit iterum turba, ita ut non possent
neque panem manducare. ¶ Et cum
audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant
enim: Quoniam in furem versus est. ¶ Et
scribae, qui ab Jerosolymis descenderant,
dicebant: Quoniam Beelzebub habet, et quia
in principe daemoniorum ejicit daemonia. ¶
Et convocatis eis in parabolis dicebat illis:
Quomodo potest Satanam ejicere?
¶ Et si regnum in se dividatur, non potest
regnum illud stare. ¶ Et si domus super
semetipsam dispertiat, non potest domus
illa stare. ¶ Et si Satanam consurrexerit in
semetipsum, dispertitus est, et non poterit
stare, sed finem habet. ¶ Nemo potest vasa
fortis ingressus in domum diripere, nisi prius
fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.
¶ Amen dico vobis, quoniam omnia
dimittentur filiis hominum peccata, et




blasphemiae quibus blasphemaverint: ¶ qui
autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum,
non habebit remissionem in aeternum, sed
reus erit aeterni delicti. ¶ Quoniam
dicebant: Spiritum immundum habet. ¶ Et
veniunt mater ejus et fratres: et foris stantes
miserunt ad eum vocantes eum, ¶ et sedebat
circa eum turba: et dicunt ei: Ecce mater tua
et fratres tui foris quaerunt te. ¶ Et
respondens eis, ait: Quae est mater mea et
fratres mei? ¶ Et circumspiciens eos, qui in
circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea
et fratres mei. ¶ Qui enim fecerit
voluntatem Dei, hic frater meus, et soror
mea, et mater est.




T ITERUM
COEPIT
DOCERE
AD
MARE:


et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat: ¶ et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrina sua: ¶ Audite: ecce exiit seminans ad seminandum. ¶ Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres caeli, et comederunt illud. ¶ Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam: et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terrae: ¶ et quando exortus est sol, exaestuavit: et eo quod non habebat radicem, exaruit. ¶ Et aliud cecidit in spinas: et ascenderunt




spinae, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit. ¶ Et aliud cecidit in terram bonam: et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. ¶ Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. ¶ Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam. ¶ Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt: ¶ ut videntes videant, et non videant: et audientes audiant, et non intelligant: nequando convertantur, et dimittantur eis peccata. ¶ Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis? ¶ Qui seminat, verbum seminat. ¶ Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cum audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum. ¶ Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum,



statim cum gaudio accipiunt illud: ¶ et non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. ¶ Et alii sunt qui in spinas seminantur: hi sunt qui verbum audiunt, ¶ et aerumnae saeculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur. ¶ Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt, et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. ¶ Et dicebat illis: Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur? ¶ Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut in palam veniat. ¶ Si quis habet aures audiendi, audiat. ¶ Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis. ¶ Qui enim habet, dabitur illi: et qui non habet,



etiam quod habet auferetur ab eo. ¶ Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciatur sementem in terram, ¶ et dormiat, et exurgat nocte et die, et semen germinet, et increseat dum nescit ille. ¶ Ultero enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. ¶ Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. ¶ Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabola comparabimus illud? ¶ Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quae sunt in terra: ¶ et cum seminatum fuerit, ascendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves caeli habitare. ¶ Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: ¶ in parabola autem non loquebatur eis: seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. ¶ Et ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra. ¶ Et



dimittentes turbam, assumunt eum ita ut
erat in navi: et aliae naves erant cum illo.
¶ Et facta est procella magna venti, et
fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur
navis. ¶ Et erat ipse in puppi super cervical
dormiens: et excitant eum, et dicunt illi:
Magister, non ad te pertinet, quia perimus?
¶ Et exsurgens comminatus est vento, et
dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit
ventus: et facta est tranquillitas magna. ¶ Et
ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis
fidem? et timuerunt timore magno, et
dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste,
quia et ventus et mare obediunt ei?




T
VENERUNT
TRANS
FRETUM
MARIS IN


regionem Gerasenorum. ¶ Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, ¶ qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare: ¶

quoniam saepe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare:


¶ et semper die ac nocte in monumentis, et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus. ¶ Videns autem Jesum a longe, cucurrit, et adoravit eum: ¶ et clamans voce magna dixit: Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei altissimi? adjuro te per Deum, ne me




torqueas. ¶ Dicebat enim illi: Exi spiritus
immunde ab homine. ¶ Et interrogabat eum:
Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi
nomen est, quia multi sumus. ¶ Et
deprecabatur eum multum, ne se expelleret
extra regionem. ¶ Erat autem ibi circa
montem grex porcorum magnus, pascens.
¶ Et deprecabantur eum spiritus, dicentes:
Mitte nos in porcos ut in eos introeamus.
¶ Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes
spiritus immundi introierunt in porcos: et
magno impetu grex praecipitatus est in mare
ad duo millia, et suffocati sunt in mari. ¶
Qui autem pascebant eos, fugerunt, et
nuntiaverunt in civitatem et in agros. Et
egressi sunt videre quid esset factum: ¶ et
veniunt ad Jesum: et vident illum qui a
daemonio vexabatur, sedentem, vestitum, et
sanae mentis, et timuerunt. ¶ Et narraverunt
illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui
daemonium habuerat, et de porcis. ¶ Et
rogare coeperunt eum ut discederet de
finibus eorum. ¶ Cumque ascenderet navim,



coepit illum deprecari, qui a daemonio
vexatus fuerat, ut esset cum illo, ¶ et non
admisit eum, sed ait illi: Vade in domum
tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi
Dominus fecerit, et misertus sit tui. ¶ Et
abiit, et coepit praedicare in Decapoli,
quanta sibi fecisset Jesus: et omnes
mirabantur. ¶ Et cum transcendisset Jesus in
navi rursus trans fretum, convenit turba
multa ad eum, et erat circa mare. ¶ Et venit
quidam de archisynagogis nomine Jairus, et
videns eum procidit ad pedes ejus, ¶ et
deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam
filia mea in extremis est, veni, impone
manum super eam, ut salva sit, et vivat. ¶ Et
abiit cum illo, et sequebatur eum turba
multa, et comprimebant eum. ¶ Et mulier,
quae erat in profluvio sanguinis annis
duodecim, ¶ et fuerat multa perpessa a
compluribus medicis: et erogaverat omnia
sua, nec quidquam profecerat, sed magis
deterius habebat: ¶ cum audisset de Jesu,
venit in turba retro, et tetigit vestimentum



ejus: ¶ dicebat enim: Quia si vel
vestimentum ejus tetigero, salva ero. ¶ Et
confestim siccatus est fons sanguinis ejus: et
sensit corpore quia sanata esset a plaga.
¶ Et statim Jesus in semetipso cognoscens
virtutem quae exierat de illo, conversus ad
turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?
¶ Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam
comprimentem te, et dicis: Quis me tetigit?
¶ Et circumspiciebat videre eam, quae hoc
fecerat. ¶ Mulier vero timens et tremens,
sciens quod factum esset in se, venit et
procidit ante eum, et dixit ei omnem
veritatem. ¶ Ille autem dixit ei: Filia, fides
tua te salvam fecit: vade in pace, et esto sana
a plaga tua. ¶ Adhuc eo loquente, veniunt
ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua
mortua est: quid ultra vexas magistrum? ¶
Jesus autem audito verbo quod dicebatur, ait
archisynagogo: Noli timere: tantummodo
crede. ¶ Et non admisit quemquam se sequi
nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem
Jacobi. ¶ Et



veniunt in domum archisynagogi, et videt
tumultum, et flentes, et ejulantes multum. ¶
Et ingressus, ait illis: Quid turbamini, et
ploratis? puella non est mortua, sed dormit.
¶ Et irridebant eum. Ipse vero ejectis
omnibus assumit patrem, et matrem puellae,
et qui secum erant, et ingreditur ubi puella
erat jacens. ¶ Et tenens manum puellae, ait
illi: Talitha cumi, quod est interpretatum:
Puella (tibi dico), surge. ¶ Et confestim
surrexit puella, et ambulabat: erat autem
annorum duodecim: et obstupuerunt stupore
magno. ¶ Et praecepit illis vehementer ut
nemo id sciret: et dixit dari illi manducare.




GRESSUS
INDE, ABIIT
IN
PATRIAM
SUAM:

et sequebantur eum discipuli sui: ¶ et facto sabbato coepit in synagoga docere: et multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic haec omnia? et quae est sapientia, quae data est illi, et virtutes tales, quae per manus ejus efficiuntur? ¶ Nonne hic est faber, filius Mariae, frater Jacobi, et Joseph, et Judae, et Simonis? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. ¶ Et dicebat illis Jesus: Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua. ¶ Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos



impositis manibus curavit: ¶ et mirabatur
propter incredulitatem eorum, et circuibat
castella in circuitu docens. ¶ Et vocavit
duodecim: et coepit eos mittere binos, et
dabat illis potestatem spirituum
immundorum. ¶ Et praecepit eis ne quid
tollerent in via, nisi virgam tantum: non
peram, non panem, neque in zona aes, ¶ sed
calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus
tunicis. ¶ Et dicebat eis: Quocumque
introieritis in domum, illic manete donec
exeatis inde: ¶ et quicumque non receperint
vos, nec audierint vos, exeuntes inde,
excutite pulverem de pedibus vestris in
testimonium illis. ¶ Et exeuntes
praedicabant ut poenitentiam agerent: ¶ et
daemonia multa ejiciebant, et ungebant oleo
multos aegros, et sanabant. ¶ Et audivit rex
Herodes (manifestum enim factum est
nomen ejus), et dicebat: Quia Joannes
Baptista resurrexit a mortuis: et propterea
virtutes operantur in illo. ¶ Alii autem
dicebant: Quia Elias est; alii vero dicebant:




Quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

¶ Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.

¶ Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. ¶ Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. ¶ Herodias autem insidiabatur illi: et volebat occidere eum, nec poterat. ¶


Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum: et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. ¶ Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui coenam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilaeae: ¶ cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellae: Pete a me quod vis, et dabo tibi: ¶ et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. ¶ Quae cum exisset, dixit matri suae: Quid petam? At




illa dixit: Caput Joannis Baptistae. ¶

Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistae.


¶ Et contristatus est rex: propter jusjurandum, et propter simul discumbentes, noluit eam contristare: ¶ sed misso spiculatore praecepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere, ¶ et attulit caput ejus in disco: et dedit illud puellae, et puella dedit matri suae. ¶ Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus: et posuerunt illud in monumento. ¶ Et convenientes Apostoli ad Jesum, renunciaverunt ei omnia quae egerant, et docuerant. ¶ Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi: et nec spatium manducandi habebant. ¶ Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum. ¶ Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi: et pedestres de omnibus civitatibus



concurrerunt illuc, et praevenierunt eos. ¶ Et
exiens vidit turbam multam Jesus: et
misertus est super eos, quia erant sicut oves
non habentes pastorem, et coepit docere
multa. ¶ Et cum jam hora multa fieret,
accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus
est locus hic, et jam hora praeteriit: ¶
dimitte illos, ut euntes in proximas villas et
vicos, emant sibi cibos, quos manducent. ¶
Et respondens ait illis: Date illis vos
manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus
ducentis denariis panes, et dabimus illis
manducare. ¶ Et dicit eis: Quot panes
habetis? ite, et videte. Et cum cognovissent,
dicunt: Quinque, et duos pisces. ¶ Et
praecepit illis ut accumbere facerent omnes
secundum contubernia super viride foenum.
¶ Et discubuerunt in partes per centenos et
quinguagenos. ¶ Et acceptis quinque
panibus et duobus piscibus, intuens in
caelum, benedixit, et fregit panes, et dedit
discipulis suis, ut ponerent ante eos: et duos
pisces divisit omnibus. ¶ Et manducaverunt



omnes, et saturati sunt. ¶ Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, et de piscibus. ¶ Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum. ¶ Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. ¶ Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. ¶ Et cum sero esset, erat navis in medio mari et ipse solus in terra. ¶ Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: et volebat praeterire eos. ¶ At illi ut viderunt eum ambulans supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt. ¶ Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, et dixit eis: Confidite, ego sum: nolite timere. ¶ Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant: ¶ non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcaecatum.




¶ Et cum transfretassent, venerunt in terram
Genesareth, et applicuerunt. ¶ Cumque
egressi essent de navi, continuo cognoverunt
eum: ¶ et percurrentes universam regionem
illam, coeperunt in grabatis eos, qui se male
habebant, circumferre, ubi audiebant eum
esse. ¶ Et quocumque introibat, in vicos, vel
in villas aut civitates, in plateis ponebant
infirmos, et deprecabantur eum, ut vel
fimbriam vestimenti ejus tangerent, et
quotquot tangebant eum, salvi fiebant.




T
CONVENI-
UNT AD
EUM
PHARISAEI,

et quidam de scribis, venientes ab Jerosolymis. ¶ Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt.


¶ Pharisei enim, et omnes Judaei, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: ¶ et a foro nisi baptizentur, non comedunt: et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et aeramentorum, et lectorum: ¶ et interrogabant eum pharisei et scribae: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus




manibus manducant panem? ¶ At ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: ¶ in vanum autem me colunt, docentes doctrinas, et praecepta hominum. ¶ Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum: et alia similia his facitis multa. ¶ Et dicebat illis: Bene irritum facitis praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. ¶ Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, et matrem tuam. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. ¶ Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit: ¶ et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri, ¶ rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis: et similia huiusmodi multa facitis. ¶ Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me




omnes, et intelligite. ¶ Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quae de homine procedunt illa sunt quae communicant hominem. ¶ Si quis habet aures audiendi, audiat. ¶ Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam. ¶ Et ait illis: Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare: ¶ quia non intrat in cor ejus, sed in ventrum vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas? ¶ Dicebat autem, quoniam quae de homine exeunt, illa communicant hominem. ¶ Ab intus enim de corde hominum malae cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, ¶ furta, avaritiae, nequitiae, dolus, impudicitiae, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. ¶ Omnia haec mala ab intus procedunt, et communicant hominem. ¶ Et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis: et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit



latere. ¶ Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus. ¶ Erat enim mulier gentilis, Syrophoenissa genere. Et rogabat eum ut daemonium ejiceret de filia ejus. ¶ Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. ¶ At illa respondit, et dixit illi: Utique Domine, nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. ¶ Et ait illi: Propter hunc sermonem vade: exiit daemonium a filia tua. ¶ Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et daemonium exiisse. ¶ Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos. ¶ Et adducunt ei surdum, et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. ¶ Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: et exspuens, tetigit linguam ejus: ¶ et suspiciens in caelum, ingemuit, et ait illi:




Ephphetha, quod est, Adaperire. ¶ Et statim
apertae sunt aures ejus, et solutum est
vinculum linguae ejus, et loquebatur recte.
¶ Et praecepit illis ne cui dicerent. Quanto
autem eis praecipiebat, tanto magis plus
praedicabant: ¶ et eo amplius admirabantur,
dicentes: Bene omnia fecit: et surdos fecit
audire, et mutos loqui.




N DIEBUS
ILLIS
ITERUM
CUM TURBA
MULTA ESSET


nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: ¶ Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant: ¶ et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. ¶ Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit saturare panibus in solitudine? ¶ Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. ¶ Et praecepit turbae discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbae. ¶ Et habebant pisciculos paucos: et




ipsum benedixit, et iussit apponi. ¶ Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas. ¶ Erant autem qui manducaverunt, quasi quatuor millia: et dimisit eos. ¶ Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. ¶ Et exierunt pharisaei, et coeperunt conquirere cum eo, quaerentes ab illo signum de caelo, tentantes eum. ¶ Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quaerit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. ¶ Et dimittens eos, ascendit iterum navim et abiit trans fretum. ¶ Et obliti sunt panes sumere: et nisi unum panem non habebant secum in navi. ¶ Et praecipiebat eis, dicens: Videte, et cavete a fermento pharisaeorum, et fermento Herodis. ¶ Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: quia panes non habemus. ¶ Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscetis nec intelligitis? adhuc caecatum habetis cor



vestrum? ¶ oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis? nec recordamini, ¶ quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. ¶ Quando et septem panes in quatuor millia: quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. ¶ Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? ¶ Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei caecum, et rogabant eum ut illum tangeret. ¶ Et apprehensa manu caeci, eduxit eum extra vicum: et exspuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret. ¶ Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes. ¶ Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: et coepit videre: et restitutus est ita ut clare videret omnia. ¶ Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: et si in vicum introieris, nemini dixeris. ¶ Et egressus est Jesus, et discipuli ejus in castella Caesareae Philippi: et in via interrogabat discipulos



suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? ¶ Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis. ¶ Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus. ¶ Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. ¶ Et coepit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari a senioribus, et a summis sacerdotibus et scribis, et occidi: et post tres dies resurgere. ¶ Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, coepit increpare eum. ¶ Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me Satana, quoniam non sapis quae Dei sunt, sed quae sunt hominum. ¶ Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: et tollat crucem suam, et sequatur me. ¶ Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, et




Evangelium, salvam faciet eam. ¶ Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum et detrimentum animae suae faciat? ¶ Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? ¶ Qui enim me confusus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis. ¶ Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute.




T POST
DIES SEX
ASSUMIT
JESUS
PETRUM,


et Jacobum, et Joannem, et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. ¶ Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. ¶ Et apparuit illis Elias cum Moyse: et erant loquentes cum Jesu. ¶ Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliae unum. ¶ Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. ¶ Et facta est nubes obumbrans eos: et venit vox de nube, dicens: Hic est




Filius meus carissimus: audite illum. ¶ Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum. ¶ Et descendantibus illis de monte, praecepit illis ne cuiquam quae vidissent, narrarent: nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit. ¶ Et verbum continuerunt apud se: conquirentes quid esset, cum a mortuis resurrexerit. ¶ Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt pharisaei et scribae, quia Eliam oportet venire primum? ¶ Qui respondens, ait illis: Elias cum venerit primo, restituet omnia: et quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur. ¶ Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quaecumque voluerunt) sicut scriptum est de eo. ¶ Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et scribas conquirentes cum illis. ¶ Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, et expaverunt, et accurrentes salutabant eum. ¶ Et interrogavit eos: Quid inter vos




conquiritis? ¶ Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: ¶ qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit: et dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, et non potuerunt. ¶ Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. ¶ Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: et elisus in terram, volutabatur spumans. ¶ Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: ¶ et frequenter eum in ignem, et in aquas misit ut eum perderet: sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri. ¶ Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. ¶ Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrimis aiebat: Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. ¶ Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo,



dicens illi: Surde et mute spiritus, ego
praecipio tibi, exi ab eo: et amplius ne
introeas in eum. ¶ Et exclamans, et multum
discerpens eum, exiit ab eo, et factus est
sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia
mortuus est. ¶ Jesus autem tenens manum
ejus elevavit eum, et surrexit. ¶ Et cum
introisset in domum, discipuli ejus secreto
interrogabant eum: Quare nos non potuimus
ejicere eum? ¶ Et dixit illis: Hoc genus in
nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.
¶ Et inde profecti praetergredebantur
Galilaeam: nec volebat quemquam scire. ¶
Docebat autem discipulos suos, et dicebat
illis: Quoniam Filius hominis tradetur in
manus hominum, et occident eum, et
occisus tertia die resurget. ¶ At illi
ignorabant verbum: et timebant interrogare
eum. ¶ Et venerunt Capharnaum. Qui cum
domi essent, interrogabat eos: Quid in via
tractabatis? ¶ At illi tacebant: siquidem in
via inter se disputaverunt: quis eorum major
esset. ¶ Et



residens vocavit duodecim, et ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. ¶ Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset, ait illis: ¶ Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. ¶ Respondit illi Joannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem daemonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. ¶ Jesus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me: ¶ qui enim non est adversum vos, pro vobis est. ¶ Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. ¶ Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in




mare mitteretur. ¶ Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ¶ ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. ¶ Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ¶ ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. ¶ Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ¶ ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. ¶ Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur. ¶ Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.




T INDE
EXSURGENS
VENIT IN
FINES
JUDAEAE


ultra Jordanem: et conveniunt iterum turbae ad eum: et sicut consueverat, iterum docebat illos. ¶ Et accedentes pharisaei interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere: tentantes eum. ¶ At ille respondens, dixit eis: Quid vobis praecepit Moyses? ¶ Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. ¶ Quibus respondens Jesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud: ¶ ab initio autem creaturae masculum et feminam fecit eos Deus. ¶ Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit ad uxorem




suam: ¶ et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. ¶ Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. ¶ Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. ¶ Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. ¶ Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur. ¶ Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. ¶ Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. ¶ Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. ¶ Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos. ¶ Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam ut vitam aeternam percipiam? ¶ Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus.




Praecepta nosti: ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum et matrem. ¶ At ille respondens, ait illi: Magister, haec omnia observavi a juventute mea. ¶ Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei: Unum tibi deest: vade, quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo: et veni, sequere me. ¶ Qui contristatus in verbo, abiit moerens: erat enim habens multas possessiones. ¶ Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! ¶ Discipuli autem obstupescabant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis: Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! ¶ Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. ¶ Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri? ¶ Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile est,



sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum. ¶ Et coepit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. ¶ Respondens Jesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me et propter Evangelium, ¶ qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in saeculo futuro vitam aeternam. ¶ Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. ¶ Erant autem in via ascendentes Jerosolymam: et praecedebat illos Jesus, et stupebant: et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, coepit illis dicere quae essent ei eventura. ¶ Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus: ¶ et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et



interficiant eum: et tertia die resurget. ¶ Et accedunt ad eum Iacobus et Joannes filii Zebedaei, dicentes: Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. ¶ At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? ¶ Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. ¶ Iesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismum, quo ego baptizor, baptizari? ¶ At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; et baptismum, quo ego baptizor, baptizabimini: ¶ sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. ¶ Et audientes decem, coeperunt indignari de Iacobo et Joanne. ¶ Iesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: et principes eorum potestatem habent ipsorum. ¶ Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri




major, erit vester minister: ¶ et quicumque
voluerit in vobis primus esse, erit omnium
servus. ¶ Nam et Filius hominis non venit ut
ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret
animam suam redemptionem pro multis. ¶
Et veniunt Jericho: et proficiscente eo de
Jericho, et discipulis ejus, et plurima
multitudine, filius Timaei Bartimaeus caecus,
sedebat juxta viam mendicans. ¶ Qui
cum audisset quia Jesus Nazarenus est,
coepit clamare, et dicere: Jesu fili David,
miserere mei. ¶ Et comminabantur ei multi
ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili
David, miserere mei. ¶ Et stans Jesus
praecepit illum vocari. Et vocant caecum,
dicentes ei: Animaequior esto: surge, vocat
te. ¶ Qui projecto vestimento suo exiliens,
venit ad eum. ¶ Et respondens Jesus dixit
illi: Quid tibi vis faciam? Caecus autem dixit
ei: Rabboni, ut videam. ¶ Jesus autem ait
illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et
confestim vidit, et sequebatur eum in via.




T CUM
APPROPIN-
QUARENT
JEROSOLY-
MAE ET


Bethaniae ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis, ¶ et ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, et adducite. ¶ Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est: et continuo illum dimittet huc. ¶ Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio: et solvunt eum. ¶ Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum? ¶ Qui dixerunt eis sicut praeceperat illis Jesus, et dimiserunt eis. ¶ Et duxerunt pullum ad



Jesum: et imponunt illi vestimenta sua, et
sedit super eum. ¶ Multi autem vestimenta
sua straverunt in via: alii autem frondes
caedebant de arboribus, et sternebant in via.
¶ Et qui praeibant, et qui sequebantur,
clamabant, dicentes: Hosanna: benedictus
qui venit in nomine Domini: ¶ benedictum
quod venit regnum patris nostri David:
hosanna in excelsis. ¶ Et introivit
Jerosolymam in templum: et circumspexit
omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit
in Bethaniam cum duodecim. ¶ Et alia die
cum exirent a Bethania, esuriit. ¶ Cumque
vidisset a longe ficum habentem folia, venit
si quid forte inveniret in ea: et cum venisset
ad eam, nihil invenit praeter folia: non enim
erat tempus ficorum. ¶ Et respondens dixit
ei: Jam non amplius in aeternum ex te
fructum quisquam manducet. Et audiebant
discipuli ejus. ¶ Et veniunt in Jerosolymam.
Et cum introisset in templum, coepit ejicere
vendentes et ementes in templo: et mensas
numulariorum, et cathedras vendentium



columbas evertit: ¶ et non sinebat ut
quisquam transferret vas per templum: ¶ et
docebat, dicens eis: Nonne scriptum est:
Quia domus mea, domus orationis vocabitur
omnibus gentibus? vos autem fecistis eam
speluncam latronum. ¶ Quo audito
principes sacerdotum et scribae, quaerebant
quomodo eum perderent: timebant enim
eum, quoniam universa turba admirabatur
super doctrina ejus. ¶ Et cum vespera facta
esset, egrediebatur de civitate. ¶ Et cum
mane transirent, viderunt ficum aridam
factam a radicibus. ¶ Et recordatus Petrus,
dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti,
aruit. ¶ Et respondens Jesus ait illis: Habete
fidem Dei. ¶ Amen dico vobis, quia
quicumque dixerit huic monti: Tollere, et
mittere in mare, et non haesitaverit in corde
suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit
fiat, fiet ei. ¶ Propterea dico vobis, omnia
quaecumque orantes petitis, credite quia
accipietis, et evenient vobis. ¶ Et cum
stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis




adversus aliquem: ut et Pater vester, qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra. ¶ Quod si vos non dimiseritis: nec Pater vester, qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra. ¶ Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et scribae, et seniores: ¶ et dicunt ei: In qua potestate haec facis? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias? ¶ Jesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi: et dicam vobis in qua potestate haec faciam. ¶ Baptismus Joannis, de caelo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. ¶ At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus: De caelo, dicet: Quare ergo non credidistis ei? ¶ Si dixerimus: Ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset. ¶ Et respondentes dicunt Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate haec faciam.




T COEPIT
ILLIS IN
PARABOLIS
LOQUI:
VINEAM

pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. ¶ Et misit ad agricolas in tempore servum ut ab agricolis acciperet de fructu vineae. ¶ Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum. ¶ Et iterum misit ad illos alium servum: et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt. ¶ Et rursum alium misit, et illum occiderunt: et plures alios: quosdam caedentes, alios vero occidentes. ¶ Adhuc ergo unum habens filium carissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur



filium meum. ¶ Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est haeres: venite, occidamus eum: et nostra erit haereditas. ¶ Et apprehendentes eum, occiderunt: et ejecerunt extra vineam. ¶ Quid ergo faciet dominus vineae? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis. ¶ Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli: ¶ a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? ¶ Et quaerebant eum tenere: et timuerunt turbam: cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. ¶ Et mittunt ad eum quosdam ex pharisaeis, et herodianis, ut eum caperent in verbo. ¶ Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, et non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Caesari, an non dabimus? ¶ Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam. ¶ At illi



attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago haec, et inscriptio? Dicunt ei: Caesaris.

¶ Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo. ¶ Et venerunt ad eum sadducaeï, qui


dicunt resurrectionem non esse: et interrogabant eum, dicentes: ¶ Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cuius frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo. ¶

Septem ergo fratres erant: et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine.


¶ Et secundus accepit eam, et mortuus est: et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.

¶ Et acceperunt eam similiter septem: et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier. ¶ In resurrectione ergo cum resurrexerint, cuius de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem.


¶ Et respondens Jesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non



scientes Scripturas, neque virtutem Dei? ¶ Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in caelis. ¶ De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquires: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? ¶ Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis. ¶ Et accessit unus de scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum. ¶ Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est: ¶ et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. ¶ Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. ¶ Et ait illi scriba: Bene, Magister, in veritate dixisti,



quia unus est Deus, et non est alius praeter eum. ¶ Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine, et diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocaustibus, et sacrificiis. ¶ Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare. ¶ Et respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt scribae Christum filium esse David? ¶ Ipse enim David dicit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. ¶ Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit. ¶ Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete a scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro, ¶ et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in coenis: ¶ qui devorant domos viduarum sub obtentu proluxae orationis: hi accipient prolixius iudicium.




¶ Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret aes in gazophylacium, et multi divites jactabant multa. ¶ Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, ¶ et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua haec pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. ¶ Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: haec vero de penuria sua omnia quae habuit misit totum victum suum.




T CUM
EGREDERE-
TUR DE
TEMPLO,
AIT ILLI


unus ex discipulis suis: Magister, aspice
quales lapides, et quales structuræ. ¶ Et
respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes
magnas aedificationes? Non relinquetur lapis
super lapidem, qui non destruat. ¶ Et cum
sederet in monte Olivarum contra templum,
interrogabant eum separatim Petrus, et
Jacobus, et Joannes, et Andreas: ¶ Dic
nobis, quando ista fient? et quod signum
erit, quando haec omnia incipient
consummari? ¶ Et respondens Jesus coepit
dicere illis: Videte ne quis vos seducat:
¶ multi enim venient in nomine meo, dicentes
quia ego sum: et multos seducent.



¶ Cum audieritis autem bella, et opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim haec fieri: sed nondum finis. ¶ Exsurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terraemotus per loca, et fames. Initium dolorum haec. ¶ Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in consiliis, et in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me, in testimonium illis. ¶ Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium. ¶ Et cum duxerint vos tradentes, nolite praecogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. ¶ Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. ¶ Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. ¶ Cum autem videritis abominationem desolationis stantem, ubi non debet, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudaea sunt,



fugiant in montes: ¶ et qui super tectum, ne
descendat in domum, nec introeat ut tollat
quid de domo sua: ¶ et qui in agro erit, non
revertatur retro tollere vestimentum suum.
¶ Vae autem praegnantibus et nutrientibus in
illis diebus. ¶ Orate vero ut hieme non fiant.
¶ Erunt enim dies illi tribulationes tales
quales non fuerunt ab initio creaturae, quam
condidit Deus usque nunc, neque fient. ¶ Et
nisi breviasset Dominus dies, non fuisset
salva omnis caro: sed propter electos, quos
elegit, brevavit dies. ¶ Et tunc si quis vobis
dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne
credideritis. ¶ Exsurgent enim pseudochristi
et pseudoprophetae, et dabunt signa et
portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam
electos. ¶ Vos ergo videte: ecce praedixi vobis
omnia. ¶ Sed in illis diebus, post tribulationem
illam, sol contenebrabitur, et luna non
dabit splendorem suum: ¶ et stellae caeli
erunt decedentes, et virtutes, quae in caelis
sunt, movebuntur. ¶ Et tunc videbunt Filium
hominis venientem in nubibus cum virtute



multa et gloria. ¶ Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terrae usque ad summum caeli. ¶ A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit aestas: ¶ sic et vos cum videritis haec fieri, scitote quod in proximo sit, in ostiis. ¶ Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec omnia ista fiant. ¶ Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. ¶ De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater. ¶ Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus sit. ¶ Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori praecepit ut vigilet, ¶ vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ¶ ne, cum venerit repente, inveniat vos dormientes. ¶ Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.



RAT AUTEM
PASCHA ET
AZYMA
POST
BIDUUM:

et quaerebant summi sacerdotes et scribae
quomodo eum dolo tenerent, et occiderent.

¶ Dicebant autem: Non in die festo, ne
forte tumultus fieret in populo. ¶ Et cum


esset Bethaniae in domo Simonis leprosi, et
recumberet, venit mulier habens alabastrum

unguenti nardi spicati pretiosi: et fracto
alabastro, effudit super caput ejus. ¶ Erant


autem quidam indigne ferentes intra
semetipsos, et dicentes: Ut quid perditio ista

unguenti facta est? ¶ poterat enim
unguentum istud venundari plus quam


trecentis denariis, et dari pauperibus. Et
fremebant in eam. ¶ Jesus autem dixit:




Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me: ¶ semper enim pauperes habetis vobiscum: et cum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. ¶ Quod habuit haec, fecit: praevenit ungere corpus meum in sepulturam. ¶ Amen dico vobis: Ubicumque praedicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec, narrabitur in memoriam ejus. ¶ Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. ¶ Qui audientes gavisı sunt: et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quaerebat quomodo illum opportune traderet. ¶ Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha? ¶ Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis: Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquae bajulans: sequimini eum, ¶ et quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi




Pascha cum discipulis meis manducem? ¶ Et ipse vobis demonstrabit coenaculum grande, stratum: et illic parate nobis. ¶ Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem: et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt Pascha. ¶ Vespere autem facto, venit cum duodecim. ¶ Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. ¶ At illi coeperunt contristari, et dicere ei singulatim: Numquid ego? ¶ Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. ¶ Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo: vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur! bonum erat ei, si non esset natus homo ille. ¶ Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum. ¶ Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes. ¶ Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. ¶ Amen dico vobis, quia




jam non bibam de hoc genimine vitis usque
in diem illum, cum illud bibam novum in
regno Dei. ¶ Et hymno dicto exierunt in
montem Olivarum. ¶ Et ait eis Jesus:
Omnes scandalizabimini in me in nocte ista:
quia scriptum est: Percutiam pastorem, et
dispergentur oves. ¶ Sed postquam
resurrexero, praecedam vos in Galilaeam. ¶
Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati
fuerint in te, sed non ego. ¶ Et ait illi Jesus:
Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac,
priusquam gallus vocem bis dederit, ter me
es negaturus. ¶ At ille amplius loquebatur:
Et si oportuerit me simul commori tibi, non
te negabo. Similiter autem et omnes
dicebant. ¶ Et veniunt in praedium, cui
nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis:
Sedete hic donec orem. ¶ Et assumit
Petrum, et Jacobum, et Joannem secum: et
coepit pavere et taedere. ¶ Et ait illis: Tristis
est anima mea usque ad mortem: sustinete
hic, et vigilate ¶ Et cum processisset
paululum, procidit super terram, et orabat




ut, si fieri posset, transiret ab eo hora. ¶ Et dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me: sed non quod ego volo, sed quod tu. ¶ Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare? ¶ vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. ¶ Et iterum abiens oravit, eundem sermonem dicens. ¶ Et reversus, denuo invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati), et ignorabant quid responderent ei. ¶ Et venit tertio, et ait illis: Dormite jam, et requiescite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. ¶ Surgite, eamus: ecce qui me tradet, prope est. ¶ Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes unus de duodecim, et cum eo turba multa cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus, et scribis, et senioribus. ¶ Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute.



¶ Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: et osculatus est eum. ¶ At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum. ¶ Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam. ¶ Et respondens Jesus, ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me? ¶ quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturae. ¶ Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. ¶ Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: et tenuerunt eum. ¶ At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis. ¶ Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem: et convenerunt omnes sacerdotes, et scribae, et seniores. ¶ Petrus autem a longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis: et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. ¶ Summi vero sacerdotes et omne concilium quaerebant



adversus Jesum testimonium ut eum morti traderent: nec inveniebant. ¶ Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: et convenientia testimonia non erant. ¶ Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: ¶ Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum aedificabo. ¶ Et non erat conveniens testimonium illorum. ¶ Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea quae tibi obijciuntur ab his? ¶ Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? ¶ Jesus autem dixit illi: Ego sum: et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus caeli. ¶ Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? ¶ Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes conde-




mnauerunt eum esse reum mortis. ¶ Et
coeperunt quidam conspuere eum, et velare
faciem ejus, et colaphis eum caedere, et
dicere ei: Prophetiza: et ministri alapis eum
caedebant. ¶ Et cum esset Petrus in atrio
deorsum, venit una ex ancillis summi
sacerdotis: ¶ et cum vidisset Petrum
calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu
cum Jesu Nazareno eras. ¶ At ille negavit,
dicens: Neque scio, neque novi quid dicas.
Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit.
¶ Rursus autem cum vidisset illum ancilla,
coepit dicere circumstantibus: Quia hic ex
illis est. ¶ At ille iterum negavit. Et post
pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro:
Vere ex illis es: nam et Galilaeus es. ¶ Ille
autem coepit anathematizare et jurare: Quia
nescio hominem istum, quem dicitis. ¶ Et
statim gallus iterum cantavit. Et recordatus
est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus:
Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis.
Et coepit flere.



T CONFEST-
IM MANE
CONSILIUM
FACIENTES
SUMMI


sacerdotes cum senioribus, et scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, et tradiderunt Pilato. ¶ Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judaeorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. ¶ Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. ¶ Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. ¶ Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. ¶ Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. ¶ Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis erat




vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.

¶ Et cum ascendisset turba, coepit rogare, sicut semper faciebat illis. ¶ Pilatus autem respondit eis, et dixit: Vultis dimittam vobis regem Judaeorum? ¶ Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.


¶ Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. ¶ Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judaeorum? ¶ At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum. ¶ Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. ¶ Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis caesum, ut crucifigeretur. ¶ Milites autem duxerunt eum in atrium praetorii, et convocant totam cohortem, ¶ et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam. ¶ Et coeperunt salutare eum: Ave rex Judaeorum. ¶ Et percutiebant caput ejus arundine: et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum. ¶ Et



postquam illuserunt ei, exuerunt illum
purpura, et induerunt eum vestimentis suis:
et educunt illum ut crucifigerent eum. ¶ Et
angariaverunt praetereuntem quempiam,
Simonem Cyrenaeum venientem de villa,
patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem
ejus. ¶ Et perducunt illum in Golgotha
locum: quod est interpretatum Calvariae
locus. ¶ Et dabant ei bibere myrrhatum
vinum: et non accepit. ¶ Et crucifigentes
eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes
sortem super eis, quis quid tolleret. ¶ Erat
autem hora tertia: et crucifixerunt eum. ¶ Et
erat titulus causae ejus inscriptus: Rex
Judaeorum. ¶ Et cum eo crucifigunt duos
latrones: unum a dextris, et alium a sinistris
ejus. ¶ Et impleta est Scriptura, quae dicit:
Et cum iniquis reputatus est. ¶ Et
praetereuntes blasphemabant eum, moventes
capita sua, et dicentes: Vah! qui destruis
templum Dei, et in tribus diebus reaedificas,
¶ salvum fac te ipsum descendens de
cruce. ¶ Similiter et summi



sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant: Alios salvos fecit; seipsum non potest salvum facere. ¶ Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei. ¶ Et facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam. ¶ Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi, eloi, lamma sabachthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? ¶ Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat. ¶ Currrens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. ¶ Jesus autem emissa voce magna expiravit. ¶ Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. ¶ Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat. ¶ Erant autem et mulieres de longe aspicientes: inter




quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome: ¶ et cum esset in Galilaea, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliae multae, quae simul cum eo ascenderant Jerosolymam. ¶ Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum), ¶ venit Joseph ab Arimathaea nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. ¶ Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. ¶ Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. ¶ Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti. ¶ Maria autem Magdalene et Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur.




T CUM
TRANSISSET
SABBATUM,
MARIA
MAGDALENE

et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata
ut venientes ungerent Jesum. ¶ Et valde
mane una sabbatorum, veniunt ad
monumentum, orto jam sole. ¶ Et dicebant
ad invicem: Quis revolvat nobis lapidem ab
ostio monumenti? ¶ Et respicientes viderunt
revolutum lapidem. Erat quippe magnus
valde. ¶ Et introeuntes in monumentum
viderunt juvenem sedentem in dextris,
coopertum stola candida, et obstupuerunt. ¶
Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum
quaeritis Nazarenum, crucifixum: surrexit,
non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. ¶
Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro,



quia praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. ¶ At illae exeuntes, fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor et pavor: et nemini quidquam dixerunt: timebant enim. ¶ Surgens autem mane prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalene, de qua ejecerat septem daemonia. ¶ Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus. ¶ Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. ¶ Post haec autem duobus ex his ambulantis ostensus est in alia effigie, euntibus in villam: ¶ et illi euntes nuntiaverunt ceteris: nec illis crediderunt. ¶ Novissime recumbentibus illis undecim apparuit: et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. ¶ Et dixit eis: Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. ¶ Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. ¶ Signa autem eos qui crediderint, haec



sequentur: in nomine meo daemonia ejicient:
linguis loquentur novis: ¶ serpentes tollent:
et si mortiferum quid biberint, non eis
nocebit: super aegros manus imponent, et
bene habebunt. ¶ Et Dominus quidem Jesus
postquam locutus est eis, assumptus est in
caelum, et sedet a dextris Dei. ¶ Illi autem
profecti praedicaverunt ubique, Domino
cooperante, et sermonem confirmante,
sequentibus signis.

¶ Explicit Evangelium secun-
dum Marcum iuxta Vulgatam
Anno Millesimobisexcentesi-
movicesimosexto. per amato-
rem bibliopegum et typothet-
am Michael Iohn Steel.